

episcopus, nisi speciale facultatem obtinuerit, quae tantum ad breve tempus et sub clausulis valde severis concedi solet. Si cui obvius sit casus hujusmodi in quo omnes reservationis condicione certo verificantur, is ad episcopum vel S. Poenitentiarium recurrat ejusque mandata exequatur.

## CAPUT II.

## DE OBLIGATIONIBUS MINISTRI POENITENTIAE.

## § 1. DE SCIENTIA CONFESSARIO NECESSARIA.

**355. I.** Ut licite, extra casum necessitatis, confessiones audiantur, requiritur in confessario ea scientia qua munere suo rite fungi possit. Nam qui sine hac scientia tantum munus suscipit, exponit se periculo graviter errandi; ac proinde graviter peccat tum ipse, tum is qui talem sine necessitate constituit, aut, cum possit corriger, tolerat. (Bus. ap. S. Alph. n. 627) Neque per se sufficeret approbatio, si quis sibi conscientiaset se vel numquam habuisse vel oblivione, morbo, etc. amisisse scientiam requisitam. Nihilominus tum presbyter saecularis judicio episcopi sui, tum Regularis judicio praelati sui tuto acquiescere possunt, si episcopus vel praelatus, qui bene hunc subditum novit, jubet eum tranquillo animo excipiendis confessionibus vacare. (Ball. P. n. 875)

Excipitur *casus necessitatis*: nam, cum defectus scientiae in confessario minime obstet valori confessionis, succurrendum est proximo ea ratione qua fieri potest. Necessitas autem adest non tantum in articulo mortis, sed quotiens poenitentes aliter diu deberent carere confessione, ut evenit in captivis. (S. Alph. n. 628) Hinc excusari possunt praelati qui minus idoneos confessarios exponunt, ubi satis aptos habere nequeunt, puta in locis exiguis et remotis quorum curam nullus homo doctus velit suscipere (Lugo, disp. 21. n. 74), in dioecesis quae cleri penuria laborant, in Missionibus ubi adhibenda est opera presbyterorum indigenarum minus peritorum, etc.

**356. II.** Regulariter requiritur et sufficit scientia qua confessarius possit solvere casus communiter occurrentes in loco in quo confessiones audit, de casibus vero difficilioribus sciat saltem dubitare ut libros vel peritiores consulat. (Lugo, l. c. n. 70; S. Alph. n. 607) Hinc patet

majorem scientiam requiri ad audiendas confessiones in magna civitate quam in humili pago, similiter ad audiendos fideles quoslibet quam alumnos unius collegii, etc. Minime vero requiritur ut sacerdos de omnibus quae audit, judicet utrum sint peccata necne. Nam saepe id etiam doctissimis impervium est, tum ob controversias DD., tum praecepsit quia tam aegre discernitur utrum poenitens plenum an semiplenum vel nullum consensum dederit. Nec quidquam prohibet quominus poenitens doctus confessarium juvet: quare minor scientia ad confessionem doctioris audiendam sufficit. (Lugo, l. c.)

Si quando occurrit casus difficilior quem confessarius statim solvere nesciat, ex. gr. de restitutione facienda, poterit tamen absolvere poenitentem, dummodo is promiserit se consilium petiturum esse a doctiore, vel redditum esse ad eumdem confessarium, postquam iste libros vel peritiores consuluerit. (Lugo, l. c. n. 71)

Ex his patet quam necessarium sit studium Theologiae Moralis iis omnibus, qui ad tam altum munus aspirant. Cfr. S. Alph. n. 628. Hodie autem, ob examina ubique a neo-confessariis requisita, jam minus periculum est, ne quis confessiones absque sufficienti scientia audire aggrediatur, quam ne, labentibus annis, eamdem amittat. Nam, ut loquitur S. Alph. (H. A. tr. 16. n. 100): "Ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accident, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare." Ut scientia acquisita conservetur, immo et augeatur, S. C. C. omnibus episcopis inculcat ut sapient per annum a clero celebrentur conventus ad solvendos casus conscientiae. (Aichner, Comp. J. Eccl. § 134) Quae consuetudo ut etiam in Missionibus, quantum pro locorum opportunitate fieri potest, servetur, omnibus episcopis et vicariis apostolicis horum locorum commendat S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 108 seqq.) Insuper praecepsit neo-confessariis utilissimum erit ut, quotienscumque confessionem paulo difficulter audiverint, postea sedulo dispiciant utrum recte egerint an forte erraverint, vel quid addere debuissent interrogando, consulendo, etc. Quotiens vero dubia quaedam obrepunt, libros vel peritiores consulant.

**III.** Ut sacerdos rite absolvat, debet, *quantum moraliter potest*, omnia peccata gravia poenitentis intellegere: secus frustra poenitens ea recensere juberetur. Hinc, quamvis tunc poenitens in bona fide versans valide absolvatur, peccat confessarius qui absolvit eum, cuius peccata per neglegentiam non satis intellexit: quia fert sententiam *incognita* causa. (Bus. ap. S. Alph. n. 626)

## § 2. DE OBLIGATIONE DOCENDI VEL MONENDI POENITENTES.

**357. I.** Ignorantia poenitentis, cui confessarius necessario mederi debeat antequam absolutionem impertiatur, ea tantum est quae versatur circa veritates de necessitate medii ad salutem credendas (Vol. I. n. 191), vel circa dispositiones necessarias ad sacramentum poenitentiae cum fructu percipiendum, puta dolorem, propositum, etc. Si vero ignorantia poenitentis versatur tantum circa ea quae de necessitate praecetti scire debet, vel quae cognoscenda sunt ut confessionem cum materiali integritate et rectitudine instituat, poterit confessarius poenitentem absolvere, dummodo de culpabili negligencia, quam forte in iis addiscendis admiserit, doleat, et proponat eadem, data opportunitate, pro sua capacitate addiscere. Ratio est : **munus Doctoris**, quod communiter in confessario agnoscunt Theologi, per se pertinere tantum ad rectam sacramenti poenitentiae administrationem. Ea igitur, quae ad hanc non omnino requiruntur, confessarius non tenetur, vi muneris sui, docere. Obligatio, si quam ampliorem habeat, orietur e caritate qua obstringitur, sicut quilibet aliis, ad juvandum proximum laborantem gravi necessitate, a qua aliter sese eripere nequeat. (Ball. P. n. 815)

Quando poenitens ignorat ea quae prorsus necessaria sunt ad sacramentum cum fructu recipiendum, confessarius tenetur eum " instruere eo modo quo hic et nunc est capax, non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intellegere, memoriter retinere ac recitare possit, sed sufficit pro tempore ut ei obligationem discendi insinuet ejusque ignorantiam supplet, proponendo ei articulos credendos, ut ad singulos actum fidei exerceat. " (Sporer, de Poenit. n. 796)

**II.** Quotiens poenitens, ex conscientia erronea, putat esse peccatum id quod revera peccatum non est, debet confessarius hujusmodi ignorantiam tollere : haec enim poenitenti maxime **nociva** est. (Lugo, disp. 22. n. 23) Attende tamen plures manifestare ea quae norunt peccatum nullum esse, ex. gr. a Sacro abfuisse diebus quibus aegrotaverint, preces matutinas quandoque omissose, etc., qui frustra monerentur nullum peccatum in his reperiri.

**358. III.** Monendus quoque est poenitens qui versatur in **ignorantia vincibili** et graviter culpabili : quia alias confessarius nec ipsi, nec sacramento consulit, cum poenitens sit indispositus. Haec autem ignorantia ita intellegenda est, ut poenitens actu dubitet de aliqua re speciali, ex. gr. num contractus vel testamentum licitum sit, vel ita temere

se habeat circa graves obligationes ut gravem hujus incuriae reatum, saltem in confuso, non possit non advertere, ex. gr. paterfamilias circa obligationem christiane educandi filios.

Confessarius autem, dum explorat num ignorantia culpabilis sit, cavere debet ne poenitenti det occasionem dubitandi eique inferat malam fidem quam non habebat. Quare solum interroget in communi et quasi aliud agens, an habeat conscientiae remorsum circa aliquam materiam gravem. (Lugo, l. c.)

**359. IV.** Quando **ignorantia invincibilis** est, ex. gr. si poenitens bona fide possidet rem alienam aut est in matrimonio irrito, confessarius tenetur monere quotiens speratur fructus nec timetur incommoda graviora. Verum, ubi haec timetur vel fructus emendationis non speratur, confessarius non tantum potest, sed debet dissimulare. Ratio praecipua est : e duobus malis minus esse permittendum ut majus vitetur. Idque valet etiamsi poenitens speretur libenter monitionem suspecturus, sed simul praevideatur grave damnum tertio obventurum, ex. gr. filiis e dissolutione matrimonii invalidi. Obligatio enim monendi, sicut non urget cum gravissimo detimento proprio, ita nec cum tali detimento alieno, quando res ipsa, propter ignorantiam invincibilem, fit sine peccato. (Lugo, l. c. n. 27)

Attamen monendus est etiam is qui non videtur monitioni obsecratus :

1<sup>o</sup> Si damnum e silentio confessarii secuturum redundaret contra bonum commune : nam bonum publicum praeferendum est bono privato poenitentis. Ideo monendus esset parochus qui, ex ignorantia invincibili, populum erronee circa mores instrueret, vel se sacerdotem arbitraretur cum non esset, etc. Hinc etiam regulariter monendi sunt ii quibus aliqua administratio civilis vel ecclesiastica concredita est, quando graviter desunt muneris sui obligationibus : nam raro in talibus adest ignorantia invincibilis ; raro etiam haec ignorantia non affert scandalum subditis, qui facile putant sibi licere quod a Superioribus suis fieri vident. Et universe monendus est poenitens : " Si in iis versetur facti circumstantiis, quae, confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scando, cum quis arbitretur ea sibi licere quae ab iis, qui Ecclesiae sacramenta frequentant, impune exerceri animadverlit. " (Bened. XIV, Const. *Apostolica*, 26 Jun. 1749. n. 19)

Quandoque tamen, etiam in iis qui publicum munus gerunt, fieri potest ut ignorantia sit invincibilis, neque ex illa sequatur scandalum aut damnum commune : tunc confessarius omittere poterit monitionem quam praevidet cessuram in majus damnum poenitentis aut allaturam scandala vel incommoda. (Lugo, disp. 22. n. 37) Semper cavendum est ne

poenitentes (ut facile contingit) existiment confessarium tacentem consentire, et probare ea quae ipsi exposuerint : unde ansam sumerent alios, cum publico scandalo, decipiendi.

2º Si confessarium interrogat : nam; cum interrogans jam coepert laborare ignorantia vincibili, dissimulatio confessarii esset erroris approbatio. Non est tamen plus respondendum quam quod praecise rogatur. Sic si quis, obstrictus simplici voto castitatis, interroget an matrimonium propter votum fuerit invalidum et an teneatur uxori reddere debitum, confessarius poterit respondere validum fuisse et debitum reddendum esse, tacens de obligatione non petendi, etiamsi noverit matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens esse nullum. (S. Alph. n. 616)

3º Si brevi sit monitioni obsecuturus, quamvis in principio non acquiescat. Attamen, si poenitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeo difficile ut non credatur tunc aequo animo recepturus et alia vice melius suscepturus judicetur, poterit relinquere in sua bona fide, quae a peccato excusat, et admonitio servari in meliorem opportunitatem, ne deterritus abstineat a confessione et majus detrimentum patiatur. (Lugo, l. c. n. 28)

Si dubium est utrum profutura an nocitura sit admonitio, comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris ac spei ; omnibus autem pensatis illud eligatur quod praeponderare judicatur. Non erit tamen gravis obligatio alterutram partem sequendi, nisi monitio vel silentium videretur notabiliter plus conducere ad bonum poenitentis vel publicum. (Lugo, l. c. n. 31) Si dubium manet utra pars praeponderet, potius abstinendum est a monitione : quia mala formalia magis vitanda sunt quam materialia. (S. Alph. n. 616)

**360. V.** Confessarius, tamquam **animarum medicus**, prudenter investigare debet causas peccatorum, praesertim graviorum, et congrua remedia praescribere. Attamen cavendum ne zelo praepostero abreptus limites suae potestatis praetergrediatur. Nam nullatenus constitutus est legislator, nec donatus est potestate qua quidlibet honestum et poenitentis saluti vel perfectioni profuturum praecipere queat. Quare, praeter poenitentiam, nihil potest sub peccato praecipere poenitenti : nam in reliquis monitis dandis jam non se habet ut judicem, sed unice ut medicum "cujus non est praecipere, sed consulere et declarare aegrotō quae sint media necessaria vel utilia ad sanitatem tuendam vel recuperandam." (Lugo, Resp. Mor. l. 1. dub. 28) Hinc :

1º Confessarius sub gravi tenetur ad absolvendum poenitentem, alioquin dispositum, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur confessario probabilior. Cfr. Vol. I. n. 79.

2º Boni confessarii est, exemplo Christi Dni (Matth. XIX, 16 seqq.), efficere ut poenitentes clare percipient quid ipsis tamquam stricta obligatio, quid vero tamquam merum consilium proponatur : ne poenitentes ex erronea conscientia peccent, dum omittunt quae falso ut praecepta apprehenderint, vel etiam, metu nimii oneris, a sacramentis abstineant. Id praesertim cavendum est ubi de occasionibus periculosis erekroque occurrentibus, puta lectionibus, spectaculis, etc. monita dantur. Ut scite scribit Ball. P. (n. 805) : "Curet confessarius ut poenitens servet tum leges divinas, tum ecclesiasticas certas, et habebit optimum christianum." Id tamen minime impedit quominus poenitentes, pro mensura gratiae quam accipiunt, ad perfectiora stimulentur. Sed in his proponendis confessarius, Christum ipsum imitatus, se habeat ad modum suadentis et allicientis, minime vero imperantis aut obtrudentis.

### § 3. DE OBLIGATIONE INTERROGANDI POENITENTES.

**361. I.** Confessarius nihil debet interrogare poenitentem, si ex hujus condicione et ex natura confessionis factae prudenter judicat poenitentem integre confessum esse. Ita regulariter obtinet in audiendis sacerdotibus, religiosis aliisve personis piis et satis instructis, quae non ita pridem confessae sint. Ratio est : in his rebus sufficere illam probabilitatem qua in aliis rebus magni momenti contenti sumus ; amplioribus autem interrogationibus redi confessionem onerosam. (Suar. de Poenit. disp. 32. sect. 3. n. 3 seqq.)

**II.** Confessarius per se sub gravi tenetur ad interrogandum quotiens probabiliter judicat poenitentem, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, deficere in manifestatione conscientiae sua. Ratio desumitur ex **officio judicis** quo fungitur. Absolvendo enim profert sententiam non solum circa peccata quae audit, sed circa personam quam judicat reconciliandam esse Deo et, quantum in ipso est, cum Deo reconciliat. Hanc autem sententiam prudenter pronuntiare nequit, nisi cognoscat plene statum conscientiae poenitentis et viderit nihil obstare hujusmodi reconciliationi. (Suar. l. c.; Lugo, de Poenit. disp. 22. n. 19) Consonat Rituale Rom. (t. III. c. 1. n. 15) : "Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget." Defectus autem plenae accusationis provenit praesertim ex ingenii ruditate, saltem circa morales et religiosas obligaciones ; ex defectu examinis confessioni praevii ; tandem e malo rubore quo poenitens peccata graviora vel quae, pro condicione sua, ut magis probrosa habet, confiteri non audeat. Quare regulariter aliquibus inter-